DE SOPHOCLIS OEDIPO REGE
COMMENTATIO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

**SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS**

DIE XVI. MENSIS IANUARII ANNI MDCCCLXIII.

PUBLICA DISPUTATIONE DEFENDET

AUCTOR

SIGISMUNDUS WECLEWSKI

PRAECEPTOR ORDINARIUS IN GYMNASIO AD ST. MARIAM POSNANIENSI.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

DR. GUENTHER HARTMANN, PRAEC. ORD. ORPHAN. HAL.
IOSEPHUS FOERSTEMANN, CAND. PHILOL.

HALAE SAX.

TYPIS HENDELIIS.

DE

SOPHOCLIS OEDIPO REGE

COMMENTATIO.

Vix triginta annorum praeteriit spatium, ex quo eruditissimorum virorum disputationibus divulgata et inveterata opinio, quum in fabulis tragicorum Graecorum omnia fato fieri, tum Oedipum Regem in tragoedia Sophoclea ab eo cognominata insontem culpae poena affici omnique supplicio excruciatum indignissimam subire fortunam, convelli coepta est ac labefactari. [1]) Neque tamen ita

[1]) Thierschium „Ueber das Schiksal in den griechischen Tragoedien" (Seebode's N. Archiv f. P. u. P. 1826. Nr. XXVII), W. E. Weberum (Berlin. Jahrbücher der wissenschaftl. Kritik. 1828. Januar), Schlegelium (Vorlesungg. u. s. w. I, 180.), Thudichum („Sophocleisch. Tragöd. I, 361.",) alios primi J. C. W. Steiner („Ueber die Idee des Sophocles von der göttlichen Vorsehung" index schol. Züllichav. 1829.) et K. I. Hoffmann („Das Nichtvorhandensein der Schiksalsidee in der alten Kunst, nachgewiesen am König Oedipus des Sophocles" 1832.) disputationibus suis refellere conati sunt. Eos secuti sunt: Willbrandt „Ueber den König Oedipus des Sophokles." Rostock 1836. Fr. Wüllner „Ueber den König Oedipus." Düsseldorf 1840. i. sch. Theod. Kock. Sophokleische Studien, I, II, i. sch. Guben 1847. Geffers „De Oedipi Sophoclei culpa commentatio. Götting. 1850. i. sch. Leonhard „Ueber einige Punkte aus Sophokl. Trag. u. s. w. Rottweil. 1843. i. sch. K. Fr. Hermann, Schwenck, Vischer, alii.

refutata erat, ut res in controversiam amplius vocari non posset. Iccirco multi temporibus vel recentissimis inventi sunt, qui repudiata aut afflicta et quasi perdita nova eaque artificiosa argumentatione aut speciosa explicatione tuenda ac defendenda susceperint fatique in tragoediis caeci alacres patronos se professi sint.[2]) Iis deinceps novi exstiterunt adversarii, in quorum numerum, dummodo ne tentaturus, quid in ea re possim γλαῦκ' Ἀθήναζε ἀγαγεῖν videar et reprehendar, quod tot docti Sophoclearum fabularum aestimatores jam vires suas periclitati sint, me quoque novissimum fati ex hominum culpa pendentis propugnatorem referri velim. Jam si res ita se haberet, ut illi putant, qui, quod nos de fabularum constitutione et natura habemus judicio repugnant, acerbissima quadam fortunae iniquitate fieret, ut homo innocentissimus erratis ac criminibus invitus se irretiret et fatali succumberet fortunae. Concedatur, ut turba agrestium indoctorumque Graecorum crediderit, mentes hominum voluntate libera spoliatas necessitate fati devinciri. Satis tamen mirari non possum, unde eruditissimi viri ad istam lapsi sint opinionem, Sophoclem, piissimum eundemque ingeniosissimum vatem, quem in ea, quae ad vitam moresque hominum spectant, haud obtusa mentis acie inquisivisse animosque mortalium perspexisse constat, id sibi fingere potuisse.[4]) Aristoteles numne in errorem

---

[2]) Bernhardy „Grundriss der griech. Literat. T. II, p. 806. Heinemann „Zur aesthetischen Kritik von Sophokles König Oedipus". Braunschweig 1858. i. sch. Gravenhorst „das griechische Theater". Dr. Platner „Ueber die Idee der Gerechtigkeit in Aeschylus und Sophokles. Leipzig 1858. *Schneidewin* „Einleitg. zu Oed. Tyr." ed. Sophocl.

[3]) Kolster „Sophokleische Studien." 1859. Aufs. IX. *Hagemann* „de fato Sophocleo" p. II. Bielefeld 1858. *Bergenroth* „Ist der König Oedipus des Sophokles eine Schiksalstragoedie? Thorn 1861. i. sch.

[4]) Ed. Weber. — Jacob's Academ. Reden: Erziehung der Hellenen zur Sittlichkeit; adnot. 44.

eos induxit?[5]) At nusquam fati mentionem fecit, quamquam ad inferendam eam saepius occasio erat oblata. Eo igitur silentio nonne satis diserte philosophi explicatur sententia? Perspicuum enim est, eum intellexisse, ad rem ipsam, ad tragoediae naturam fatum non pertinere, arcessitum, non innatum esse, praesertim quum ne a poetis quidem necessarium haberi neque in tragoediis praestantioribus adhibitum esse cognovisset. Quum autem de arte tragica praecipiens Sophoclis potissimum fabulas, sine exemplo perfectissimas respiceret et intueretur, ex silentio Aristotelis fatum, quod ad humanas res moderandas valeret, in tragoediis nequaquam ab hoc poeta advocatum fuisse colligimus.

Jam fatum, quod omnia ad arbitrium statuat, vim necessitatis afferat, in hominibus nulli culpae obnoxiis intercipiendis libidinem habeat, movebitne magis spectatorum mentes, quam grassator productus, qui ex insidiis securum viatorem petat imprudentemque et inermem obtruncet, quamvis, quamobrem et quo consilio facinus atrox patret, ipse rationem sibi reddere nequeat? Immo vero, quod atrocitate et indignitate facti horrore perfundat, tantum abest ut tragoediae sit consentaneum, ut fastidium plerumque, interdum etiam risum moveat et ad jocularem potius comoediam nonnunquam accommodari posse videatur.

Quale tandem est illud fatum vere tragicum? Aganturne in fabulis res hominum sceleratorum? Nisi forte id unum et solum spectare vis, quas poenas dent pro criminibus suis! Verum abhorret a poetarum ratione tale supplicium.[6]) In poesi enim omnia veluti herbam e semine crescere ac provenire ideoque poenas omnes ex facinoribus ipsis, quibus quis aeternam rerum rationem

[5]) Aristot. ed. Imm. Beckeri. T. II. de poetica.
[6]) Arist. poet. pag. 1453. l. 1.

ordinemque violavit, manare easque piaculum a violatore exactum esse oportet.

Ne quis tamen credat, de numinis divini majestate ac potentia quidquam detrahendum esse. Contra ea contendo, numen illud, cujus mente atque ratione omnis mundus administratur et regitur, quod naturam actionesque hominum perspicit vitaeque eorum consulit et providet, eximio amore et benevolentia vere divina ductum singulis mortalibus, ut recto et honesto victoria paretur ac stultitia temeritasque malis luatur, poenam suppliciumque irrogare posse locoque parentis hominibus esse. Quod quidem jam illa egregia probatur sententia, quam in Agamemnone chorus pronuntiat[7]:

τὸν φρονεῖν βροτοὺς ὁδώσαντα, τὸν πάθει μάθος
θέντα κυρίως ἔχειν.
στάζει δ' ἔν θ' ὕπνῳ πρὸ καρδίας
μνησιπήμων πόνος, καὶ παρ' ἄ —
κοντας ἦλθε σωφρονεῖν.
δαιμόνων δέ που χάρις
βίαια σέλμα σεμνὸν ἡμένων.

quamquam numen Aeschyleum tyrannorum more mundum moderatur saepiusque ejus dominatio crudelitate notatur ac saevitia.[8]) Sophocleus vero Juppiter, quo nomine summum numen appellat poeta, nonne est omnipotens et aeternus,[9]) benignus et misericors,[10]) justissimus et summa sapientia praeditus, omnituens omniumque, quae fiunt, gnarus?[11]) Justitia tamen praecipue insignis odit et punit malos et improbos,[12]) dona sceleratorum precesque

---

7) V. 163 ed. Herm. Cf. v. 354 sqq.

8) Aeschyl. Prometh. 187 sqq. 326 sq. 737 sqq. Eumen. 631 sqq.

9) Antig. v. 605 sqq. ed. Schneidewin. Aj. v. 86. O. R. 903 sqq. O. C. 607 sq.

10) O. C. 238 v. et 1268.

11) Antig. v. 184. Elect. v. 175 et 658. O. R. 151. O. C. 622 et 1085 sqq.

12) Antig. 288. 1104. Elect. 1382 sq. Trach. 280. O. C. 1536 sq.

aspernatur,[13]) puros integrosque amat et honorat[14]) nec tanti omnia alia in hominibus aestimat, quanti virtutem ac religionem.[15])

Fatum igitur, quod in tragoedia esse et dominari videtur, ex hominum, quos in fabulis inducunt loquentesque et agentes faciunt poetae, culpa pendet eaque tenetur. Ex ea culpa orta caussa caussam serens fatum efficit; aut ut apertius rem explicem, fatum constat ex perpetiendis malis, quibus delicto obstricti peccatisque obnoxii nullam usque doloribus molestiisque levationem invenientes, acerbissime excruciantur. Nunquam vero in tragoediis, ut saepius in hominum vita animadverti potest, semina mala stirpesque nefastae primo tempore casuum felicium fortuito interventu opprimuntur aut exstinguuntur. Nam numen, quod res humanas procurat legesque aeternas administrat, si quis religione violata a bonae probaeque vitae ratione discessit, nullo temporis puncto intermisso assidue id agit, ut nefas et scelera in violatore expiet.[16])

Jam si quis temere currens corruerit, ejus culpa id illi contigisse dicemus; si in terram delatus crus fregerit aut collapsus animam efflaverit, de casu aut misera sorte questi culpam tamen a mortuo demovere non poterimus atque haud scio an plures futuri sint, qui miseratione dignum virum vitam perdidisse, quam qui amisisse eam contendant.[17]) Plerumque fit, cum igni temere admoto domus aut totum oppidum deflagraverit multique incolae domicilii jacturam fecerint aut ipsam vitam amiserint, ut homines malo ingenti et inopinato perturbati in fortunam culpam declinent invidoque fato attribuant calamitatem.

---

13) Elect. 637. O. R. 920.

14) O. C. 279 sqq 394.

15) Philoct. v. 1442—4. a Schneidew. spurii habiti uncisque inclusi. Hagemann, de fato Soph. Steiner „Ueber die Idee etc. p. 7.

16) O. C. v. 280 sqq. et 1536 sqq.

17) Heinemann, pag. 10.

Quotus tamen quisque invenietur, qui, dummodo mentis sanae compos sit, non fateatur, tot mala ab uno homine orta et ex temeritate imprudentiaque ejus profecta esse?

Eadem vero caussae est ratio cum vi et effectu in iis rebus, quarum perpetuitatem, ut nexae et inter se aptae colligataeque sint, quum in oculos non incurrant, videmur dispicere non posse. Itaque subito malorum incursu de gradu, ut dicitur, dejectus homo saepissime queritatur, se arbitrio alieno summam pati miseriam ultimisque mergi suppliciis, dum sedes et origo mali in ipsius animo potius est quaerenda et ex factis ejus mala repentina in eum redundant. Ut luculentius rem persequamur: qui pedem ponit et ingreditur nulla mentis ratione habita, non video cur queratur, se via sua insistere non potuisse sine casu ac prolapsione; nec est quamobrem vitam occasumque suum moriens lamentetur. Verumtamen id nobis in rebus humanis valde tragicum esse videtur et misericordia capti maximo eoque acerbissimo commovemur dolore et occupamur pavore, quum videamus virum cum ratione aliquid desiderantem et honestum rectumque appetentem habere in se summo studio bonaeque voluntati admixtum aliquid inconsiderantiae et perversitatis. Omnes enim quoque temporis puncto in eodem periculo versamur metuque territamur, ne temeritate acti in mala incidamus, praesertim quum sentiamus aut plane conscii nobis simus, in mente nostra stultitiam consedisse temeritatemque in nobis inhaerere nec nisi per nos stare, quin cohibeamus eam et ab omni lapsu contineamus. Jam maleficum aut insanum hominem manu praepotenti nnminis aeterni perculsum cernentes ad misericordiam inducimur; sed suppressis querelis et nimia coercita miseratione non dolemus nisi quod homo ad ejusmodi perversitatem pessumdatus turpiter interierit. [18]) At quum

---

[18]) Arist. poet. II, 1453, 13 *οὐδ' αὖ τὸν σφόδρα πονηρόν* etc.

vir probus et honestus bona magnaque appetens morte occubuit, quod studium ejus non vacabat errore et intemperato quodam impetu ipse ad finem propositum ferebatur, is vere dignus esse nobis videtur, qui carmine tragico ornetur ac celebretur; nec dubium est, quin fabula, in qua ejus vita, luctationes, cruciatus morsque descripta fuerint, spectatoribus miserationem et pavorem sit incussura.[19]) Etenim illius viri vita tanquam nostrae vitae est exemplum, in sortem illius inspicimus tanquam in speculum, in quo nostra communis omnium hominum sors fingitur et redditur. Veluti firmo ramo absciso aut ita discerpto, ut marcescat necesse sit, tota arbor partesque: truncus, radices, ramuli, folia lugent et in moerore jacent, sic in nostros quoque animos, quum mortem viri probi intueamur, tristitia magna penetrat maximoque timoris dolorisque angimur cruciatu. Nec tamen desunt, quae animos metu oppressos erigant ab omnique sollicitudine abstrahant, quod magna et honesta consecuturus, quamvis effrenato studio ferretur et a proposito interdum declinaret, periculis mortique se obtulit et animam agens aut se errasse et petulanter egisse intellexit summumque bonum, quod appetiverat summopere, non libidinibus humanis polluto impuroque, sed vero et sincero amore amplexus est, aut tum demum illud agnovit et acerbissima afflictus poenitentia comprobavit.

Sed ut summi boni majestas manifestius appareat et finis ille tam vehementer appetitus optimus esse cre-

---

[19]) Aristoteles (l. l.), cui tragoedia est *μίμησις βελτιόνων*, honestos probosque viros (*χρηστός*) in fabulis induci jubet, qui culpam aliquam (*ἁμαρτία*) contraxerint, eosque miseriis vexari. Aequabilitate tamen et constantia excellere eos oportet, qua ducti, quum, quod summum bonum habeant, appetant, nihil aliud curent nisi ut propositum finem assequantur. Cf. ib. 14, 1. *ἔστι μὲν οὖν τὸ φοβερόν* etc.

datur, non solum virum, qui illius, ut philosopha voce utar, ideae patrocinium in fabula suscepit, splendore animi et vitae illustrari ejusque auctoritatem augeri,[20]) sed etiam numen ipsum, quamvis, quod flecti nolit, inexorabile, severum nostraeque imbecillitati terribile haberi possit, ita ante oculos poni et describi oportet, ut bonum, prudentia ac sapientia perfectissima praeditum et in ipsa horrenda immutabilitate amore et cultu dignum esse videatur.[21])

Inde sequitur, ut tragoedia non solum magnam conjunctionem habeat cum philosophia, sed ut etiam cum religione et deorum cultu implicita sit artissimeque cohaereat. Atque quis est, qui neget, drama Graecorum aeque atque aliarum gentium a cultu deorum sollemnibusque ludis ad celebrandos laudibus deos institutis ortum esse? Nonne in omnibus Graecorum tragoediis illa religionis principia, quamvis indoles ingeniumque poetae et actio ipsa multa mutari jusserit, religiosissime videmus conservata? Nonne eam ob caussam, quod ipsa ad deos pie adorandos impellebat hominesque meliores reddere conabatur,[22]) tanta dignitate fruebatur tragoedia, quantam nullo sumptu magnificentiaque homines impertire nec induere possunt rei; quae modo eo spectat, ut

---

[20]) Id. 15. s. f. p. 1454........ *ἡμᾶς δεῖ μιμεῖσθαι τοὺς ἀγαθοὺς εἰκονογράφους· καὶ γὰρ ἐκεῖνοι ἀποδιδόντες τὴν ἰδίαν μορφὴν ὁμοίους ποιοῦντες καλλίους γράφουσιν· οὕτω καὶ τὸν ποιητὴν μιμούμενον καὶ ὀργίλους καὶ ῥαθύμους καὶ τἆλλα τὰ τοιαῦτα ἔχοντας ἐπὶ τῶν ἠθῶν ἐπιεικείας ποιεῖν παράδειγμα ἢ σκληρότητος δεῖ* etc.

[21]) Talis vita hominum apparet quovis, vel summo tempore, in minimis maximisque rebus, dummodo sana mente et acuto ingenio percipiatur. Tragico vero praecipue ita est percipienda: abhorrens vitiis, vacua a sordibus et temeritate.

[22]) Aristoph. Ran. 1009—10, ubi poeta Euripidem haec verba loquentem facit: *ὅτι βελτίους τε ποιοῦμεν τοὺς ἀνθρώπους ἐν ταῖς πόλεσιν.*

afferat delectationem?[23]) Denique inter omnes constat, quanta sanctitate et fide Graeci a tragicis pristinam religionem deorumque cultum conservari voluerint, et quantam severitatem ipsi ira incensi, si quis religionem violaverat, in eo mulctando adhibuerint.[24])

Ergo fatum in tragoedia ita efficitur, ut altera ex parte sit certa lex aeternaque ratio rerum, quae a numine divino profecta uniuscujusque et universorum saluti consulit: ex altera autem parte homo mortalis, cui liberum arbitrium permissum est agendi et appetendi, quidquid ei in mentem venit. Iam homo nulla re impeditum se ratus, perturbatione aliqua animi aut consulto et cogitate aeternam legem a numine divino constitutam despicit despectamque prosternit et obterit. Quo facto numen violatum a contemptore poenas expetit, quibus leges perruptae expientur, malaque multa ingerit violatori, qui miseriis doloribusque animi vexatus cogitur, ut aut aeternam rerum rationem sanctam et sapientem et salutarem habeat pieque colat, aut saltem fractus dolore poenitentiamque petulantiae agens agnoscat, metuendam et observandam et venerandam esse.[25])

Si alia est ratio personarum in fabulis tragicorum, poeta a vero aberravit dementesque et insanos produxit in scenam. Quamvis enim vasta et impura belua, hominis figura specieque a natura ornata, virium immanitate fraudibusque inexpiabilibus concipiendis paulisper aliquid voluptatis sensibus afferat, animus tamen tragoedia, quae

---

23) Jacob's „Ueber die Erziehung etc. 1808. p. 307 sqq. in adnot.

24) Senecae Epist. 15, 5. Quum hi novissimi versus in tragoedia Euripidis (Bellerophonte) pronuntiati essent, totus populus ad ejiciendum et actorem et carmen consurrexit uno impetu etc.

25) Adolph Stahr, Aristoteles Poetik.

omnes veritatis numeros non continet et in nugis agitur, nequaquam commovetur.[26])

Denique ut personarum ratio in tragoediis non abhorreat a poesis ratione, ex suo arbitrio faciant, quidquid volunt, concupiscunt, agunt, ne ullum factum fortuna evenisse videatur. Finge enim aliquem alicunde decidentem fortuito alteri morti fuisse, ut tegula de tecto decidit et praetereuntem nonnunquam necat. Talis eventus tum demum a poeta non inepte in tragoedia tractabitur, quum is, qui factum commisit, eo vehementissime perturbatus opinionis errore sibi finxerit, facinus vitari potuisse et per ipsum stetisse, quominus fieret; aut si se propter mortem illatam monstrum immane esse putabit et scelere opinato agitatus immerito et falso sese cruciabit atque aegritudini perperam deditus miserrimam deget vitam. Perinde quae calamitates miseros vexant mortales: fames, sitis, morbus, aliae, iis nullus verus poeta, nedum Sophocles in Philocteta, argumento usus est ad tragoediam componendam et explicandam.[27]) Nec nisi arctior et potentior quaedam ratio iis cum hominum animis intercesserit, nisi ad eos commovendos perturbandosque valuerint, idoneam praebebunt materiam, quam tractet et in

---

[26]) Aristot. poet. p. 1469, 6. *ἔστιν οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας, μέγεθος ἐχούσης, ἡδυσμένῳ λόγῳ, χωρὶς ἑκάστου τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις, δρώντων καὶ οὐ δι᾽ ἀπαγγελίας, δι᾽ ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν.* Kock „über die Aristotelische Katharsis. I. Adolph Stahr p. 36 sqq. Arist. poet. 13.

[27]) Heinemann p. 10. dicit: Die Schiksalstragoedie leidet hier an demselben Fehler, den der Dichter begehen würde, welcher ein natürliches Gebrechen, Blindheit, Wahnsinn oder dgl. zur Quelle tragischen Leidens machte. Ein Beinbruch passt dazu eben so gut, wie eine absolut durch das Schiksal bestimmte Handlung. Es ist uns widerwärtig dergleichen zu sehen; es erscheint uns als eine leere, aller Gerechtigkeit baare Grausamkeit etc.

qua versetur tragicus. Omnes enim in tragoedia personarum miserias, ut jam supra diximus, ex animis i. e. ex vitiis et criminibus eorum manasse oportet. Quemadmodum igitur fatum caecum esse, unde illa fatalis necessitas exsistere potest, ut, quidquid accidat, id ex aeterna veritate caussarumque continuatione fluxisse videatur et credatur?[28]) Inveniuntur quidem multae fabulae, in quibus fatum ita comparatum est, sed malorum poetarum, quibus Sophocles, ut opinor, non est adnumerandus.[29])

Jam vero ut sententiam judiciumque nostrum dilucidius exponamus et defendamus, transeundum est ad alteram disputationis partem, in qua Oedipum Regem non fato quodam funesto et invido sanctum innocentemque ad crimina compulsum sed ipsum sibi exitio ac perniciei fuisse demonstremus. Ab initio *τοῦ μύθου* igitur ordiendum est.

Laius turpi et libidinoso amore captus Pelopi filium Chrysippum vi rapuit.[30]) Ea animi vehementi concitatione et temeraria cupiditate notantur mores vitaque ejus.[31]) Quum postea liberos ex uxore Iocaste non sus-

---

[28]) Verba sunt Ciceronis in libro primo (19, 55.) De natura deorum.

[29]) Cf. Pauly, Realencyclopädie des klassisch. Alterth. s. v. Fatum pag. 434.

[30]) Quod quidem Sophocles ipse memoriae non mandavit, sed oraculum docet responso, quod de progenie sciscitanti Laio dederat: *Λάϊε Λαβδακίδη, παίδων γένος ὄλβιον αἰτεῖς* etc. Cfr. Schneidew. Einleitg. zum König Oedipus p. 1. Vide Apollodori Biblioth. III, 5, 5. *Ὁ δὲ, ἐν Πελοποννήσῳ διατελῶν ἐπιξενοῦται Πέλοπι καὶ τούτου παῖδα Χρύσιππον ἁρματοδραμεῖν διδάσκων ἐρασθεὶς ἀναρπάζει.*

[31]) Platner p. 113 sqq. dicit: Die Auflehnung des Lajus gegen das Verbot des Apollo ist allerdings eine Schuld. Dasselbe nimmt jedoch zugleich den Charakter einer Strafe an, da nach den Ansichten des Alterthums Kinder ein Segen sind und Kinderlosigkeit als das Loos eines Unglücklichen bezeichnet wird. Man hat daher, was jedoch Sophokles nicht anführt, um das Orakel des

tulisset, oraculum Delphicum adiit responsumque abstulit: Filium habiturum esse, si vellet, sed ab illo necatum iri; ita enim Jovem constituisse precibus et imprecationibus Pelopis adductum. Quod preces imprecationesque Pelopis efficaces fuerunt, inde ad adversariorum nostrorum, qui fatum caecum esse contenderunt, sententiam probandam argumenta neutiquam duci posse videntur. Nam si Laius religiosus piusque fuisset et credidisset, numen certa lege et ratione mundum administrare, voluntate sua libera fati necessitatem placasset.[32]) Sed violentus et inconsideratus respuit divina monita et libidinoso, ut mythicae docent fabulae, amore actus ebrius concubuit cum Iocaste peperitque patricidam Oedipum.[33]) Quo facto, quoniam

τὸ δυςσεβὲς .... ἔργον
μετὰ μὲν πλείονα τίκτει
σφετέρᾳ δ'εἰκότα γέννᾳ,[34])

ut periculum a fato impendens averteret et propulsaret, jam sine mora animum induxit perpetrare facinus atrox, quod non solum patres perhorrescunt sed omnes homines detestantur et exsecrantur: sublaturus erat e medio puerum, quem ex uxore tollere tam ardenter cupiverat. Attamen aestuans dubitatione aut ignavia, quae humanitas non est habenda, retentus aut religionis timore territus ab incepto recessit nec ipse puerum necavit, sed a famulo interfici jussit.[35]) Qua re novum crimen commisit, innocenti viro, qui famulus dicto parere debebat, inhumani facinoris

---

Apollo zu motiviren, dem Lajus die Entführung und Knabenschändung des Chrysippus schuld gegeben, wodurch er sich den Fluch Pelops zugezogen.

[32]) Cic. de fato 11, 25.

[33]) O. R. 793. 826 sq. a. l. Apollod. Bibl. III, 5. 7 sq. Schneidewin Einleitg. z. König Oedipus.

[34]) Agamem. v. 728 sqq.

[35]) O. R. 1178 sqq. 711 sqq.

conscio ac participe facto. Itaque deorum monitis contumaciter spretis Laius arbitrio fati permissus esse neque amplius a miseriis se eripere potuisse credebatur.

Famulus vero, pastor Laii, humanitatis motu concitus, adducere animum nullo modo poterat, ut puerum necaret; sed veritus, ne dicto non audiens poenas domino penderet, infantem amovit pastorique regis Corinthii in monte Cithaerone tradidit.[36]) Ille puerulum detulit ad dominum suum, ad regem Polybum, qui, quod orbus erat, benigne domum receptum cum conjuge sua Merope ut filium educabat.[37]) Oedipus, ita enim nota de caussa nominatur,[38]) carus omnibus et felix adolevit, ratus se filium regis Corinthii esse. Sed quum aliquando in epulis conviva vino obrutus ei exprobasset, suppositum regi esse filium,[39]) summo animi dolore affectus illico matrem

---

[36]) O. R. 1142 sqq. Humanitas et misericordia pastoris profecto recta est et laudabilis: sed quum in re summa dominum decepisset, admisit in se facinus, quod quidem nobis excusationis aliquid habere videtur eique facile ab omnibus condonatur, sed in fabula mythica fato eum obnoxium reddidit, ita ut non sine poena sit dimissus. Nam si vere humanus et forti animo fuisset, ut tum, quum maximae res aguntur, unusquisque esse debet, salute sua in periculum vocata Laio tamen restitisset aut ab incepto dominum avocasset.

[37]) Apud Pherecydem in Schol. ad v. 775 regina vocatur Medusa, filia Orsilochi, qui fuit filius Alphei. Alii eam vocant Antiochiam, filiam Chalconis, alii Periboeam. Apollod. Biblioth. III., 5, 7. Cf. Pausan. II., 6, 3.

[38]) OR. 1034 sqq. Appollod. Bibl. ibid.

[39]) Non adulterinum, ut .Hagemann p. 17. docet. *Πλαστὸς ὡς εἴην πατρί* ipse Oedipus dicit v. 780. Apollod. B. III., 5, 7. habet *ὑπόβλητος*. Vidit ea jam Bergenroth (p. 4.): Der Dichter, sagt Geffers, will gerade zeigen, wie Oedipus nicht durch drükkende Verhältnisse . . . sein Vaterland verlassen . . . .; in den heroischen Zeiten hätten auch die unehelichen Kinder oft gleiche Ehre mit den ehelichen genossen, und Oedipus hätte sich beruhigen sollen. Es ist nun allerdings wahr, dass bei Homer . . . . und überdiess hat Geffers ausser Acht gelassen, dass

patremque adiit de ea re consulturus. Parentes autem, quamvis non arguerent aperte ebrium virum mendacii, evulgatum arcanum indigne ferentes et iratos videns Oedipus summo gaudio est cumulatus; sed quod injuria nimis gravis et acerba erat, in verbis consolationibusque eorum acquiescere noluit et diligentius rem cognoscere planiusque explicari cupiebat. Secreto igitur insciis patre et matre Delphos abiit, ut Apollinem de origine sua interrogaret. Deus tamen responso de ea re non dato quaerenti aperuit et denuntiavit: eum ex matre sibi conjuncta infelices liberos procreaturum et patrem, ex quo natus esset, interfecturum.[40]) Quo responso stupefactus, quum horrida mentem formido subiisset, ut terribilem et invisam sortem effugeret, Corinthum nunquam revisendam esse constituit.[41])

Nihilne igitur in hac prima vitae suae parte fecit Oedipus, quo sanctas aeternasque leges a numine constitutas violasset? Si quis, nisi quod inhonestum est et turpe, scelus esse non putat, inconsiderantiam vero et temeritatem violentam Oedipi in virtutibus adolescentiae numerat, si eum optime et laudabiliter se gessisse judicet, non miror. Sed Graeci, ante omnes Sophocles, et acerrimus quisque et diligentissimus naturae humanae animadversor ea vitia semina ac principia omnium malorum esse inceptoque Oedipi non minus quam criminibus ac flagitiis leges aeternas perverti ac pollui judicaverunt et intellexerunt, temporibus tantum nonnunquam impediri homines, quominus in pravitate et perversitate perstarent aut longius procederent. Kockii autem et Bergenrothii[42] argumentationibus minime adduci possum,

---

der Zechgenosse den Oedipus nich einen ausserehelichen Sohn seines Vaters, sondern einen untergeschobenen nennt.

[40]) OR. 994 sqq.

[41]) OR. 997.

[42]) p. 4. Wenn der Dichter statt der von Geffers angeführ-

ut credam, Oedipum, quum ad oraculum insciis Polybo et Merope se contulisset, non solum non „temere, contumaciter, impie consilium cepisse et peregisse,“ ut Geffers existimat,[43] sed vere pium se praebuisse ob eamque rem maxima laude dignum esse. Pietate enim impulsum fuisse illi viri eruditissimi putant, ut suos veros parentes cognosceret et adamaret; et addunt, si minus probus rectusque adolescens fuisset, futurum fuisse, ut explicatio et declaratio Polybi ac Meropes eum consolaretur curamque et angorem animi levaret, et ut ipse de origine sua sciscitari nollet metu, ne quaerendo parentibus humilibus natum se esse comperiret. Oedipum igitur jam tum eo animo virili omnia egisse, quo in extrema fabula excellat. Mea tamen sententia Oedipus, si vere pius in eos fuisset, quos parentes habebat, aut acquiescere in eorum responso illudque probare aut, quod filium esse non asseverassent, ab iis iterum iterumque petere debebat, ut aperte ejus originem explicarent et revelarent.

Ea via omnis dubitatio tollenda et solvendum ei erat aenigma, quod, ut fabula docemur, nisi Corinthi

---

ten Gründe und statt des von der alten Sage aufgestellten Motivs, die Oedipus ausziehen lässt, um Rosse zu suchen, ein mit der Peripetie des Drama's in engstem Zusammenhange stehendes Motiv gewählt hat, so finden wir in diesem Benehmen des jungen Mannes mit Kock nichts, was ihm zum Vorwurfe gereichen könnte, müssen vielmehr den Zug der Pietät rühmlich hervorheben, welche ihn — im Kontraste zu seinem Schicksale — dazu treibt, seine wahren Eltern kennen und lieben zu lernen. Ein weniger edles Gemüth hätte sich wohl bei den beschwichtigenden Erklärungen des korinthischen Königspaares beruhigen mögen und weitere Nachforschungen vermieden aus Furcht, seine eigentlichen Eltern auf einer niedrigen gesellschaftlichen Stufe zu entdecken etc. Oedipus zeigt hier schon dieselbe männliche Entschlossenheit, welche ihn in der Enthüllungsscene des Drama's selbst auszeichnet.

[43]) p. 20.

aenigma non fuit. Sed ille de dignitate et honestate aliquid sibi derogatum ratus, injuria quam vocabat accepta temere et contumaciter[44]) Delphos se contulit, ut a deo audiret, quod ab hominibus edoceri poterat. Non enim solius Socratis erat opinio, deos non esse consulendos nisi de rebus, quae conjectura aut alia ratione perspici non possint. Quare Sophocles Oedipum ipsum loquentem induxit, Apollinem consultum suum ne responso quidem dignatum atroces et nefandas res sibi vaticinatum esse. Kolsterus autem[45]) censuit, Oedipo aram manibus supplicibus tenenti et preces ardentes fundenti iterum deum consulendum fuisse, quo modo malum effugere posset et quinam essent ejus parentes; eique, quod id non fecisset, summo vitio culpaeque dedit contumaciae et protervitatis eum arguens.

Aliorum vero sententia[46]) Oedipus, si protervus et contumax fuisset, Corinthum rediisset, ubi fretus se prudentia sua oraculi minas depulsurum, securam in patria vitam jucundiorem fore existimavisset quam vagam miseriisque oppressam. Neutrum nobis probatur. Nam quid, quaeso, profuisset Oedipo, si iterum deum de parentibus interogasset? Apollini invisi Laii *μόριμος υἱός*[47]) ipse quoque invisus fuit; nec erat cur deus propitiis benignisque monitis eum tueretur et ab interitu servaret, quem incerto responso magis implicare et confundere et ita perdere vellet.

---

[44]) Quod quidem Sophocles non dicit, sed saepius in fabula temerarium ac contumacem descripsit, quum eum cum Tiresia, Creonte, Jocaste aliisque colloquentem facit.

[45]) Bergenroth, p. 4. Auch das Benehmen des Oedipus im delphischen Tempel ist getadelt worden. Er hätte, sagt man, aus dem Tempel nicht weichen, hätte den Altar umfassen und immer wieder den Gott bitten sollen, ihm zu sagen, wie er dem Uebel entgehen könne.

[46]) Bergenroth, p. 5.

[47]) Pindar. Olymp. II, 42.

Corinthum autem, ubi in domo parentum eorumque opera, qua via certo propositum assecutus esset, in genus suum inquireret, non rediit, quamvis vaticinio ab Apolline accepto momentum permagnum ad malum avertendum profecto id habuisset: quod dubitationem, quae eum in eam mentem impulerat, ut oraculum adiret, oblitus aut temere aspernatus, quasi rationi repugnaret vanaque esset, regemque Corinthium ejusque uxorem parentes suos esse existimans id tantum curabat, ne in eos, ut praedictum erat, impium sceleratumque facinus committeret. Verum tamen omnem dubitationem eximere sibi ex animo non potuit, si quidem sana mente nec perturbata aures oraculo praebuerit. Illud enim patrem, ex quo natus erat, ei, quem vocabat parentem, opposuit atque ita satis manifesto enuntiavit, Polybum non esse ejus genitorem.

Καὶ μ' ὁ Φοῖβος, ὧν μὲν ἱκόμην,
ἄτιμον ἐξέπεμψεν, ἄλλα δ' ἄθλια
καὶ δεινὰ καὶ δύστηνα προὐφάνη λέγων,
ὡς — φονεὺς ἐσοίμην τοῦ φυτεύσαντος πατρός.[48])

At quid prodest prudentia ac doctrina iis, qui caeci per vitam feruntur!

Fuerunt qui contenderent, in tragoediis antiquis praedicta evenire, quamvis homines, quos spectabant, obnitentes contra ea resistere ausi essent, et qui propterea concluderent, contra fati voluntatem nullum hominem repugnare posse. Infestam igitur, ut jam in prima nostra disputationis parte commemoravimus, et caecam quandam vim malitiose insonti libero viro, quem criminibus antea obstrinxisset, moliri perniciem opinabantur At licet a Sophocle, Aeschylo, Euripide homines in fabulis sint introducti, qui ita de fato judicent et frustra se cum invida fortuna luctatos esse prae se ferant, nusquam ta-

---

[48]) V. 788 sqq. Ubi vox *φυτεύσαντος* juxta *πατρὸς* posita gravissimam vim habere videtur. Cf. 436.

men fundamentum tragoediae est illa opinio neque inde colligi potest, poetam ipsum credidisse, fatum immutabile et implacabile dominari in rebus humanis. Jam vero argumento fabularum ex horrida antiquitate acceptarum saepe devincti tenebantur poetae. Quum autem illa aetas sibi persuasisset et opinione falsa duceretur, fato regi res humanas, tragicis pauca tantum ad praesentem usum flectere aut mutare licebat, ne antiquitus traditas res violasse viderentur.[49]) Neque tamen in ejusmodi quoque fabulis, quae, ut ita dicam, a principio jam fato quodam crudeli miserrimaque sorte gravidae erant, Sophocles fato est usus, e. g. in Electra et Antigone, aut si efficere non potuit, ne ullum omnino vestigium fati exstaret et relinqueretur, ipse tamen saepissime haud ambigue declaravit, se ei rei fidem non habere, et docuit nos, deos solos et ipsos non arbitrio suo nec ex suo consilio, sed ex rationis et juris praescripto mundum administrare.[50]) Verum quidem est nec negari potest, praedicta et responsa ora-

[49]) Steiner. i. sch. p. 3. Aristot. 14, 10. *τοὺς μὲν προειλημμένους* etc. V. quae in extrema disputationis parte de Tiresiae vaticiniis sit dictum.

[50]) Ne illud quidem egregium chori in Persis Aeschyli canticum quisquam proferat, quod mentes hominum libera voluntate spoliatas et fati necessitate devinctas esse docere videtur:

δολόμητιν δ' ἀπάταν θεοῦ
τίς ἀνὴρ θνητὸς ἀλύξει;
τίς ὁ κραιπνῷ ποδὶ πηδή —
ματος εὐπετέος ἀνάσσων;
φιλόφρων γὰρ ποτισαίνου —
σα τὸ πρῶτον παράγει
βροτὸν εἰς ἄρκυας ἄτα,
τόθεν οὐκ ἔστιν ὑπὲρ θνα —
τὸν ἀλύξαντα φυγεῖν.

Nam quum illi senes tanquam perturbatis animis solliciti de patriae salute fatum quoddam acerbissimum deosque malevolos accusent, qui malis miseriisque homines dolis captos vexent et urgeant, ex quibus eripere se amplius non possint mortales, nemo fortasse erit, qui poetam ipsum id credidisse arbitretur.

culorum evenire et ad omnia deorum monita, quae quasi Cassandrae vaticinationes surdis canuntur, clausas esse hominum aures. Sed altera ex parte id mihi constare videtur, prudentissimis consiliis monitisque salutaribus sapientes ac providos fieri non posse eos, qui perturbatione non sint liberi nec vitam degant integram et religiosam; atque praecipue illos, qui ita comparati sint, ut ipsi regere se non possint, quidquid cum vaticinationibus et praedictis aliquid communitatis habeat, eo magis impediri et in errorem rapi, quam expediri et doceri. Atque cuinam ea vera esse non liquet? Nemo considerate agit, cui non contigit, ut aliena aut sua opera perturbatione liberaretur, ut omnia ejus facta tanquam ex purgato et lustrato animo et a moribus emendatis proficiscerentur. Quis est, qui liberos tantum admonitionibus et poenis informare et excolere possit, nisi id curat, ut animi eorum et mentes sentiant et tangantur eo, quod bonum est et pulchrum? Quaelibet igitur perfecta tragoedia manifesto declarat et docet, veram esse illam sententiam, si quis ipse sibi consulere nolit, eum a nullo homine sublevari et ne a deo quidem invitum servari posse!

Jam Oedipus, cui certum deliberatumque erat, Corinthum non repetere, inscius, quo iret, Thebas versus properavit. Putares, adolescentem tam gravibus verbis monitum, quae sors eum maneret, si temere se gereret, circumspectionem et diligentiam in omnibus negotiis, priusquam aggrederetur, adhibiturum fuisse, ne scelera nefanda ab oraculo praedicta in se conciperet.

Sed ille tantisper de sua origine sollicitus, quoad vanus injuriae offensionisque animi acerbae recordatur, deorum monitu neglecto, cui primo fit obviam, ei mortem infert. Isque pater est ejus Laius, qui nescimus qua de caussa Thebis Delphos petebat.[51]) Facinus id

[51]) O. R. 114 *θεωρὸς, ὡς ἔφασκεν, ἐκδημῶν·* V. 733 sqq.

quidem *ἐν σχιστῇ ὁδῷ* commissum per se non est nefandum, quod lacessitus, quum et auriga Laii et Laius ipse eum peterent manusque ei inferrent, in discrimen vitae venit eamque defendit.[52]) Sed id potissimum Oedipo crimini est dandum, quod, quum cognita voce divina a temeritate et violentia cavere eum necesse esset, injusta ira inflammatus, qualis saepius in fabula, quum ei aliquis adversetur, excandescit, non paria paribus retulit,[53]) sed dominum cum famulis omnibus morte mulctavit, uno excepto, qui effugerat et Thebis, ut fugae ignominiam depelleret, rumorem disperserat, latrones in regem ejusque catervam impetum fecisse et reliquos omnes necasse. Subjungamus hic, Laium quoque vitam non amittere terribili numinis injusti jussu; quum ira-

---

[52]) OC. 240. 266 sqq. 992 sqq. Oedipum probata lege Rhadamanti purgatum fuisse demonstrat Schneidewin „Die Sage vom Oedipus" Göttingen. 1852. (V. Band der Abhandlungen der königl. Gesellschaft der Wissenschaften.) p. 52. Cf. quae idem ad v. 547. OC. *νόμῳ καθαρὸς ἄϊδρις εἰς τόδ' ἦλθον* dixit. Sophocles supra laudatis locis ipse Oedipum culpam necis a se demoventem inducit. Cf. Eurip. Phoen. v. 39 sqq. Hagemann, „de fato Sophocleo" II., p 18. Tamen prorsus innocentem ne Aristoteles quidem eum fuisse censuit. (poet. 13. p. 1354.) Quare Thierschius errasse videtur, quum dixerit p. 133: „Oedipus ist nicht rein tragisch, wie Aristoteles den Helden haben will; er ist nicht schlecht, wie er selbst fühlt; er ist gut, ein ausgezeichneter Mensch in jeder Hinsicht. Das Schiksal vernichtet ihn nur, weil ihn sein Vater gegen das Schiksal gezeugt, wofür er doch nichts kann." Similiter de ingenio animoque Oedipi judicavit Schneidewin, Einleitg. zum OT. p. 18.: „Der Character des Sophocleischen Oedipus ist fleckenlos, wie ihn einmal die Volksdichtung als Beispiel eines unschuldigen Opfers des grausen Verhängnisses aufgestellt hatte . . Leidenschaftlich ist er allerdings, sonst würde er keine tragische Person sein. Aber mit wahrer ängstlicher Sorge wird sein Aufbrausen aus edlen Motiven abgeleitet. Vid. denique, quae Heinemann, p. 20. de eadem re commemoravit, qui Kolsterum praecipue redarguere conatus est.

[53]) OR. 810 v. *οὐ μὴν ἴσην γ' ἔτισεν.*

cundia et snperbia, quibus affectibus plerumque lacerabatur et rapiebatur, eam perdiderit.

Cruento facinore perpetrato Oedipus, quasi nihil accidisset, velut viator innocens, securus ire perrexit, adiit Thebas, liberavit urbem aenigmate soluto a funestissima sphinge [54]) et accepit mercedem egregii facinoris constitutam, viduam et solium regis, ut omnes Thebis compertum habent, interfecti.

Jam Oedipus, Iocaste populusque Thebanus inconsiderate et imprudenter agentes saepius sanctas leges aeternas violaverant. Oedipo enim atroci facinore maculato et contaminato, antequam nefas purgaret, quae Graecorum erat opinio, quodvis commercium erat interdictum nec ullis negotiis interesse licuit. Quamobrem terribili praedicto audito mulierem aetate grandiorem eamque viduam in matrimonium ducere non debebat; quoniam, si auribus non aversis, ut vocem divinam observari decuit, oraculum accepisset, non solum tale conjugium sed quodlibet matrimonium, ut nefas, reformidasset. Bergenroth [55]) quidem nulla poena dignum Oedipum putat, quod matrimonio secum conjunxerit Iocasten, et soli reginae culpam attribuendam esse censet. Sed rectius de ea re Petersius [56]) judicasse mihi videtur, qui, „quid levius, inquit,“ quam con-

---

[54]) Unde illud malum Thebas invaserit, Sophocles memoriae non mandavit; antiquitus accepta erat fabula. De aenigmate v. Athenaeum X. p. 456. B. *ἔστι δίπουν* Apollod. Bibl. III., 5, 7. Solutio vel conjectura Oedipi versibus expressa quoque superest: *κλῦθι καὶ οὐκ ἐθέλουσα* etc. Cf. Schneidew. Einl. z. O. T. Quod Oedipus coram vate (v. 391 sqq.) solutionem aenigmatis jactasset, propterea non immerito in vituperationem cecidisse videtur. V. Hagemann p. 19.

[55]) Bergenr. p. 9. — Dass er sich zu dieser (sc. verhängnissvollen Ehe) entschliessen konnte, finden wir durchaus nicht „strafwürdig.“

[56]) Hagem. p. 18.

tinuo post caedem perpetratam interfecti regis viduam (interfectum esse Laium Thebani statim cognoverant) uxorem ducere, quum et in suspicionem venisset, matrem quam putaret non esse matrem et deus docuisset, in fatis esse, ut patre interfecto matrem duceret?"

Dein, ut Iocasten et populum Thebanum, ita eum quoque pietas et religio cogebat et impellebat, ut, quis Laium interemisset, indagaret percussoremque ulcisceretur. Id potissimum angere eum et sollicitum habere debuit. Thebanis vero id officium fuisse, ipse Oedipus declarat negligentiamque iis exprobrat.[57]) Quocirca peste non ludibrio ab invido crudelique fato sed propter aeternas sanctas leges justitiae violatas a numine immissa poenam pendunt Thebani.

Vertebatur autem vitio Sophocli, quod quaestionem de morte Laii multos annos ab Oedipo negligi fecisset. Ab aliis vero negligentia illa ita excusabatur, ut hunc actum ejus vitae extra fabulam esse dicerent.[58]) Quorum sententiam ut sequerer, multis mihi rebus persuasi.

Neque tamen eos plane rejiciendos censeo et spernendos, qui, quamquam argumentationibus suis ad falsam rem explicandam usi sunt, contendere videntur, Sophoclem naturam moresque Oedipi, nempe quibus jam in antiquis fabulis notabatur, describere voluisse, quum istam incuriam et inconsiderantiam animo ejus insitam et innatam regemque in multis rebus religione officii declinantem depinxisset; nec dubito, quin poeta de industria in officio aliquantulum claudicantem Oedipum fecerit, ut in tragoedia similitudinem quandam gereret speciemque in fabulis efficti et expressi regis. Compluribus enim locis paucis verbis id attactum, quibus Oedipus leniter reprehendi videtur,[59]) et omnino ratione viaque, qua fabu-

[57]) OR. v. 125 sqq.
[58]) Bergenroth, p. 15.
[59]) Fr. Wüllner, p. 7. OR. 105. 110—111 v.

lae argumentum explicatur, manifesto indicatum esse existimaveris.[60]) Concedo porro, quod iidem contenderunt, ut quaestione de Laii morte instituta dimidia ex parte saltem tristem et terribilem sortem repellere et declinare potuisset Oedipus; neque regem, quanto cautior et prudentior erat in rebus plerumque, quae eum non attingerent, tanto imprudentiorem et incautiorem se praebuisse nego in iis negotiis, in quibus maxima circumspectio et deliberatio fuisset adhibenda. Constat enim, eum aenigmata solvisse, prudentibus et salutaribus consiliis actionibusque populum docuissê, rexisse, beasse; videmus quoque, nunquam regem consilio destitutum aciem mentis aut firmitatem constantiamve defecisse. Deinde scimus, Oedipum animo tumenti, vehementem natura, vita inquinatum non semper respexisse aeternas leges veri rectique in iis, quae faceret, sed saepius rationem habuisse eorum, quae ex factis essent eventura et consecutura. Quare non movet admirationem, eum indignatione accensum et horrore affectum fuisse, quum denique cogitatio animum ejus subiisset, se Laii interfectorem esse posse.[61]) Nam publicis rebus deditus nunquam in sese descendit atque falsa opinione deceptus extrinsecus malum esse, non vidit intra ipsum esse et in visceribus ejus sedere Atque inde manasse omnes illas miserias consentimus, quibus denique succubuit, quum persuadere sibi non posset, se sola pietate, sanctitate morumque probitate tutum ab eo periculo fieri posse, quod ab aliis propinquisque intendi sibi putabat, et censeret, se bene et probe et ad deorum voluntatem agere et vivere, dum vel nefanda crimina patraret.

Itaque in illum apte quadrare videntur illa: τὸ

---

[60]) Jam supra commemoravimus, qua de caussa id fecisset poeta. V. adnot. 49. et Aristot. 14, 10.

[61]) OR. 813 sqq.

κακὸν δοκεῖν ποτ' ἐσθλὸν τῷδ' ἔμμεν ὅτῳ φρένας θεὸς ἄγει πρὸς ἄταν.[62])

Jam vero quamvis ea omnia, quae modo commemoravimus et in medium protulimus, ad tragoediam nostram pertineant, nihil tamen eorum est in tragoedia ipsa. Ea pars vitae Oedipi nonnisi fundamentum est, in quo actio tragoediae est innixa et fulta et, ut ita dicam, inaedificata. Usque ad illa tempora fato quodam immiti et acerbo vexatus esse videtur Oedipus; sed quum extra fabulam sint, fatum in tragoedia dominari nemo est, qui probare possit. In ea autem vitae parte, quae in scenam producta in conspectu est posita et tanquam in spectatorum oculis transigitur, Oedipus libera jam voluntate utitur omniaque ad arbitrium suum agit; sed quod criminum quasi laqueis est implicitus, consequuntur et fiunt ea, quae ex illis manare necesse erat. [63])

Vinculum vero, quo prior Oedipi vitae pars cum altera, quae in fabula descripta est, conjungitur, pestis est illa hominibus et pecudibus funesta, qua Thebanorum urbs premebatur et devastabatur, quum jam aliquot annos Oedipus regnaret.[64])

Videamus nunc, qualem Oedipus in fabula se praebeat, ut inde, quae sit in ea ratio fati, cognoscere possimus. Usque adhuc sola vitia regis monuimus et reprehendimus, ut ex iis tristem ejus sortem ortam esse intelligeretur; simulque ostendimus, eum nec sceleratum aut maleficum fuisse nec nefaria appetivisse. In fabula vero nominatur generosus et prudens dominus, verus et affabilis pater, lenis conjux, optimus rex, qui omnes animi ingeniique vires intenderet, ut civibus salutem daret.

---

[62]) Antig. v. 622.

[63]) Vid. Aesch. Eumenid. 530—546. Agam. 208—210. m. a. l.

[64]) Bergenroth, p. 15. Das Drama beginnt mit der Abwehr der Pest, und alles, was diesem Zeitpunkte vorangeht, bildet den vorläufig dunkel gelassenen Hintergrund der Handlung.

(V. 1—13.) Cives maximi natu et praecellentes prudentia, quorum testimonium permagni est momenti, talem esse regem profitentur et agnoscunt, in amore et deliciis illum diis esse ac de coelo demissum Thebas, ut urbem a clade liberaret, quam illi sphinx afferret, oppressam calamitatibus, afflictam et fere perditam patriam erexisse et recreasse. (V. 14—57) Diu igitur feliciter Oedipum regnasse argumento fabulae probatur. Post multos annos tamen[65]) repente fortuna turbare coepit, sterilitate frugum cives premente et peste pecus et homines auferente. Invitatus igitur, ut tentaret et experiretur, quidquid ad salutem omnium conferre posset, quum se gravius supplicium pati quam cunctos cives affirmasset, omnibus humanis remediis frustra adhibitis ad oraculum Apollinis confugit et affinem Creontem Delphos misit.[66]) Qui quum rediisset et acerbum dei responsum soli regi se dicere velle declarasset, Oedipus postulavit, ut coram populo renuntiaretur. Qua re poeta egregie descripsit naturam moresque Oedipi. Cognoscimus enim, quanta fuerit liberalitate et quanta, quod ipse se non novit, securitate et tranquillitate animi. (V. 58—94) Phoebus autem necem Laii sanguine vel exsilio percussoris placari jussit. Quaestione de caede Laii vix instituta illico certa indicia sceleris apparuerunt, et quamvis longius vestigiis rem non persequutus esset Oedipus, tamen ex eo, quod investigavit, evidenter negligentia et tarditas ejus eluxit et quantam culpam ea socordia et ignavia in se ipse rex et Thebani admiserint. Jam vero Oedipo quaestionem de nece habenti occasio datur exprimendae gravis sententiae, qua manifesto, quale ejus esset ingenium, declaravit. Avaritia enim et privatae utilitatis studio impulsos fuisse ad facinus perpetrandum percussores Laii

---

[65]) OR. v. 561.
[66]) ib. v. 603.

censet. (V. 124 sq.)[67]) Ejusmodi hominibus, qualis fuit Oedipus, id tantum infame et ignominiosum esse, quod turpe et inhonestum est, nec nisi miser quisquam ad scelesta facinora proclivis esse videtur. Dum in alios sunt suspiciosi, se contra peccata et crimina munitos putant, quod liberi sint a sordida avaritia. Nemo est, quem fugiat, quantopere repugnet, eundem virum et Laii interfectorem esse et ita loqui. Ne credas tamen, ficta et simulata esse, quae dixerit Oedipus. Facti sui oblitus est.

Jam chorus in scenam prodit deosque implorat, ut Thebas servent. Rex vero eum monet, ut ipsum adjuvet in percussore investigando; indici largam mercedem fore; (V. 151—298.) simulque objicit senibus Thebanis negligentiam et affirmat, se ipsum inquisiturum esse, quod multis rebus ad id faciendum impellatur. (V. 265. seq.) Quum autem chorus purgandi sui caussa commemorasset, Phoebi fuisse significare, quis esset percussor, Oedipus respondit, deos cogi non posse.

Quonam spectant inania illa ac vana dicta? Manifestius ostenditur, homicidam trita et usitata via deprehendi non posse. Etenim id non est praetermittendum, et chorum statim de advocando Tiresia cogitasse et ab Oedipo vatem hortante Creonte arcessitum fuisse. Omnes igitur noverant, quae consilia adhibenda essent et ubi remedia miseriae inveniri possent; indignaque incuria civium eo evidentius conspicitur.

Nulla fere mora interposita advenit grandaevus vates Tiresias, (v. 299—461.) quem quum chorus, tum rex vera praedicere et omnia scire predicaverant. Is de percussoribus Laii interrogatus excusat inopiam consilii et perspicacitatis, et abiturus est nullo responso dato. Tum rex, cujus suspicionem taciturnitas vatis movet, ingentem iram animo conceptam in Tiresiam evomit eumque omni-

---

67) Eadem sententia iteratur copiosius explicata v. 380 sqq.

bus injuriis contumeliisque onerat.[68]) Quo facto ille quoque vehementi ira exacerbatus maledictisque immeritis incensus os solvit in vaticinia et Oedipum Laii, patris sui interfectorem et matris conjugem nuncupat. Mirum quantum haec fervida alacrisque cum Tiresia Oedipi collocutio naturam ingeniumque regis nudavit, qui, quum vates mentionem parentum ejus intulisset, quasi tum demum ad se rediret seque colligeret, eum, quem modo vaticinatum injuriosius tractaverat, quo patre esset natus, desiderio quodam ingenti incensus interrogavit.[69]) Nonne ea sciscitatione demonstravit, quantopere dubitatione in ea re usque vexaretur? Tum chorus (v. 461—507.) ultricis deorum potentiae nec quidquam eos ignorare meminit. Tiresiam quidem offendere non habet in animo; magis tamen ad Oedipum se inclinat, quem benignum, liberalem libenterque opem ferre cognoverat.

Itaque hic quoque, ut multis aliis locis, non tam, quae poeta sentit et cogitat, chorus eloquitur neque id praedicat, quod poetae verum esse videtur, quam populi potius vice fungitur et ita est verus, ut illud verum est: Vox populi, vox dei.

Quum chorus jam decantavisset, Creon exiit ex aedibus; et audita criminatione, qua in absentem usus erat Oedipus, regem ipse atrocium criminum teterrimorumque facinorum aperte accusat. Idem fretus sua innocentia, quum ex choro ea, quae acciderant, percontaretur, (v. 508—626.) a rege ex aedibus reverso gravissi-

---

[68]) v. 347 sqq.

ἴσθι γὰρ δοκῶν ἐμοὶ
καὶ ξυμφυτεῦσαι τοὔργον, εἰργάσθαι θ᾽ ὅσον
μὴ χερσὶ καίνων· εἰ δ᾽ ἐτύγχανες βλέπων
καὶ τοὔργον ἂν σοῦ τοῦτ᾽ ἔφην εἶναι μόνου.

Ad quae adnotavit recte Hagemann: quamquam enim ignorabat caussam silentii Tiresiae, tamen in ejus probitate tantam fiduciam collocatam debuit habere, ut non vim ei adferret etc. p. 18.

[69]) V. 436 sqq.

mis increpatur verbis; et iisdem injuriis, quas in absentem immiserat Oedipus, quum ab eo Laio mortem illatam, regnum per calumniam peti et, ut regiam dignitatem solumque adipisceretur, Tiresiam corruptum esse dixisset, vehementer irritatur et dementis incepti caussa objurgatur. Initio quidem vehementius, postea tranquille et leniter criminibus respondit et talem se praebuit Creon, ut nihil aliud nisi innocentem se esse asseveraret. Nihilo minus Oedipus, quamquam a choro monitus erat, ut aequitatem et verecundiam servaret, injuriis affinem persequi perrexit nec jam exsilium, sed mortem ei minabatur. Quod tam injuriose Oedipus Tiresiam et Creontem tractaverat, id non, ut Bergenrothius [70]) existimat, principium et origo omnium crudelissimorum malorum esse, sed ad explicandum argumenti exitum, quae catastrophe vocatur, maximam vim habere videtur.

Concitatione enim animi, qua actus in vatem invehitur, injustisque criminationibus et conviciis eum provocat; provocato autem Tiresia efficit, ut altercatio et jurgium deinceps ei de eadem re cum Creonte oriatur. Altercatione eorum evocatur denique foras Iocaste, quacum colloquutus Oedipus ad pastorem in agris habitantem arcessendum adducitur, a quo, praesente jam nuntio Corinthio, pastore Polybi mortui, de origine sua accuratissime edocetur. Sed redeamus ad conjugum colloquium. Altercantibus igitur marito et Creonti supervenit Iocaste et quum utrumque hortaretur, ut maledictis jurgiisque sese abstinerent, et reginae chorus ardentissima prece adhibita adsentiretur, Oedipus ea re adductus est, ut senes

---

[70]) p. 21. Oedipus hat sich moralisch vergangen, und er leidet auch moralisch, indem er seinem Schwager mit Selbstbewusstsein und Reue entgegentritt etc. cf. p. 12. Wir übergehen Anderes und wenden uns nun endlich zu dem Benehmen des Oedipus gegen Tiresias und Kreon. Hier finden auch wir die Schuld des Helden etc.

quoque Thebanos perfidiae arguere et injuriosius de ipso interficiendo conjurasse eos diceret. (V 627—688,) Dein quum Creon in abditam aedium partem secessisset, sede malorum Oedipi rectissime ita descripta v. 669 sqq.

στυγνὸς μὲν εἴκων δῆλος εἶ βαρὺς δ' ὅταν
θυμοῦ περάσῃς· αἱ δὲ τοιαῦται φύσεις
αὑταῖς δικαίως εἰσὶν ἄλγισται φέρειν.[71])

et Iocaste exquireret, quid factum esset, Oedipus cum uxore communicavit, se a Tiresia, quem haud dubie Creon corrupisset et impulisset ad calumniosas criminationes fingendas, percussorem Laii esse appellatum. Tum Iocaste, quasi ingeniosi aliquid excogitavisset ac machinaretur astute, ut virum vestigiis diligenter conturbatis aut deletis ab interitu servaret, narravit ei, quid olim Laio esset praedictum, quomodo illius vaticinii caussa Laius infantem ex se ipsa sublatum interfici jussisset et quid de morte prioris conjugis accepisset. Tota narratio, praecipue tamen prima et extrema pars declarant, quanti regina fecerit vaticinationes et oracula, quamvis professa sit, se deos colere, et falsorum oraculorum culpam in sacerdotes contulerit. Sed temeraria ac levi conjugis narratione, ante omnia τριπλῶν ἁμαξιτῶν commemoratione graviter commovetur Oedipus; et quum porro quaerendo comperisset, locum, tempus aliasque res illam necem significare, quam ipse commisisset, jam pro certo habet, se Laio mortem intulisse.[72]) Atque hinc incipit illa ab Aristotele laudata et admirandum in modum instituta περιπέτεια,[73]) quum paullatim et quasi pedetentim Oedipus verum divinare ac praesentire coeperit; nec est quem fugiat, quam

[71]) Ad quae Schwenckius: Damit hat der Dichter das Hauptübel des Oedipus ausgesprochen, den dieses bestand in dem aufbrausenden Gemüth, das statt hereinbrechende Uebel durch Geduld zu mildern, durch seine eigene Glut zu brennender Qual entzuendete.

[72]) O. R. 689 sq.

[73]) Aristot. poet. 10.

ingeniose in ea re elaboraverit poeta, qui artificiose agnitione et explicatione dilata, occulta et involuta per eos aperiat, qui angore et aegritudine Oedipum levare ac liberare studeant. Iam id, ut ex oratione Iocastes apparet, maxime demonstrat levitatem et temeritatem feminae, quod famulo, qui ex nece Laio comitibusque ejus patrata effugerat solus et, quum Oedipum regnantem videret, ingenti quadam tanquam scelerati animi anxietate captus eam rogaverat, ut procul ab urbe ad armenta mitteretur, non cognita caussa, cur in agros relegari vellet, morem in ea re gessit, fidelitatem famuli probatam et majori etiam beneficio dignam praetendens imprudentiae. Simulatque Oedipus ea audivit, famulum continuo adduci jussit; et ipse jam angore cruciatus copiose narrat, ut multis annis ante peregrinum quendam cum famulis ejus necaverit. Jam metuit, ne iste peregrinus Laius esset, quoniam tum sibi miserrimo et infelicissimo homini, quam poenam ipse constituisset, ex patria decedendum esset nec liceret reverti Corinthum, in antiquam patriam, ne parentem suum Polybum interficeret aut matrem Meropen in matrimonium duceret.[74]) (V. 720 sqq. 824 sqq.)

Una tamen, quamquam exigua, spes reliqua erat. A latronibus Laium interfectum famulus narraverat; se ergo, quum unus contra plures pugnavisset,[75]) ita rex se consolatur, percussorem illius non fuisse, nisi, quae olim professus erat et pro vero affirmaverat, pastor revocaturus esset.[75]) Iocaste quoque quantum in

---

[74]) Misericordia (ἔλεος et timor (φόβος) mirum quantum occupat animos, quum videamus, qua via Oedipus ad veritatem et sortem suam miseram cognoscendam accedat. Arist. poet. 13.

[75]) Liceat nobis hoc loco commemorare, id mendacium famuli inevitabile fuisse illoque artificio poetam effecisse, ut diu Oedipus vestigio falleretur. Id quoque commentum Sophoclis est, quum dicat, unum tantum famulum effugisse, ne ab illo narrata alii testes superstites refutarent.

ea situm est, animum mariti afflictum et demissum confirmare atque erigere conabatur, ducta spe et opinione, famulum coram populo, quae antea dixisset, mutare non posse; sed etiamsi id fecisset, neminem id quod constaret, Laium a filio multo ante mortuo interfici non potuisse, impugnare ausurum atque ita Loxiae praedictum falsum appariturum ideoque vaticinationibus non esse credendum. (V. 850 sqq.) Quae argumentatio quam plena sit deorum contemptionis, non est cur moneam.

Cantico, quod deinde chorus incipit et plenum est gravitatis et majestatis, celebratur pietas et religio; docent senes Thebani, aeternas esse et immutabiles sanctas leges divinas, et ostendunt, superbiam (*ὕβριν*) fontem mali et miseriarum esse. (V. 863—910)[76] Eo cantico petuntur quoque una et castigantur Oedipus atque Iocaste, quae mox rediit narratura, quanto moerore conjux sit confectus, cujus attonitus et velut torpore quodam insolito captus animus ne consolatione uxoris quidem sanari possit. Quare incidisse sibi cogitationem (*δόξα μοι παρεστάθη*, v. 911.) diis sacrificare et potissimum Apollinis (imprudenter ac proterve modo contempti) auxilium misericordiamque implorare. Vix ea effata erat, (v. 924.) quum, quasi deus eam exaudivisset, nuntius Corintho venit, regem Polybum mortuum esse. Quo nuntio accepto Iocaste nimio gaudio paene desipit et omni acie mobilis ingenii exstructa etiam tum exsultare et triumphare pergit de oraculorum vanitate, quum jam virum adesse videret. Atque Oedipus, qui initio vix nuntio fidem habuit

---

[76]) *Οὐ γάρ ἐστιν ἔπαλξις*
πλούτου πρὸς κόρον ἀνδρὶ
λακτίσαντι μέγαν Δίκας
βωμὸν εἰς ἀφάνειαν.

jam chorus in Agamemn. v. 364 sqq. denuntiat. Cf. ib. v 732 sqq.

et postulavit, ut ei iteraretur, quasi contagio quodam affectionis intemperata uxoris hilaritate commotus, tam amenti laetitia est correptus, ut ex ore impurissimo evomeret querelas insolentes de Delphici oraculi fallaciis et fraudibus atque cavillans et cum aculeo quodam facetus adderet, videlicet se patri suo mortem non intulisse, nisi forte ille desiderio funesto filii incensus diem supremum obiisset! Omnia oracula igitur, ut improba et falsa, cum Polybo in Tartaro jacere jubet. Mox tamen incidit in pristinas dubitationes subtilesque conjecturas, et quantumvis impiis et levibus dictis Iocaste timorem tollere conaretur omnesque rationes depellendae curae afferret, periculum ex conjugio cum matre Merope praedicto metuere non desiit.[77])

Nuntium non effugit perturbatio Oedipi et caussa ejus affectionis cognita solatur regem affirmans, Polybum et Meropen non esse ejus parentes, quod certo sciat, quum eum olim parvulum, pedibus perforatum infantem a Laii regis pastore in monte Cithaerone acceptum regi Corinthio tradiderit.[78]) (989 — 1076.) Jam Iocaste, de

---

[77]) Haud molli bracchio Wüllnerus de inconstantia Oedipum objurgavit; quae quoniam faceta sunt et ne longus sim paucis verbis mihi referre liceat: „Si vir, inquit, tam inconstans, qui animo quidem ad salutem civibus ferendam et ad omnia bona propenso praeditus varie tamen ex tempore aliqua de caussa afficitur, qui necat, injuriam infert, qui deos implorat et spernit et rursus metuit, si talis vir religiosus sanctusque haberi potest, deus nos defendat ab improbis et impiis, dummodo ne sint meliores, quum ab iis cavere possimus!“ pag. 9.

[78]) Hoc loco conjuncta est *περιπέτεια* et *ἀναγνώρισις*. Aristoteles poet. 11. de peripetia hac dicit: „Nuntius venit tanquam laetitiam allaturus Oedipodi eumque metu liberaturus adversus matrem, et, ut aperuit, quisnam esset, contrarium fecit.“ (Ita hunc locum latine reddidit A. Riccobonus.) Aristoteles ibidem agnitionem pulcherrimam esse censet eam, quum simul peripetiae fiant, ut se in Oedipode habeat.“ Cf. Lessing. Hamburgisch. Dramat. I., 38. Stück, aliis locis: et quae de ea re copiosius disputaverunt Bergenroth et Heinemann.

iis rebus edocta, dira praesagit mala et obsecrat Oedipum, ne amplius investigaret, quae laterent. Sed vehementi desiderio incensus cognoscendae originis suae rex in consilio suo perstitit, et quod omnes suspectos improbosque habebat, ratus Iocasten pudere humilis stirpis et generis obscuri mariti, violenter id ei exprobravit. Quo facto Iocaste acerbissimo dolore oppressa et fracta Oedipo *ἰοὺ ἰοὺ δύστηνε* invocato secessit, ita ut chorus summum malum timere inciperet et vehementer commoveretur.

Oedipo vero, qui non sine superbia desperationi admixta filium Tyches se vocat, (v. 1080) chorus, quamvis aliis sensibus aliarumque rerum cura occupatus adsentitur. (V. 1086 — 1109.) Interim senex famulus Laii advenit et a Corinthio pastore is agnoscitur, a quo Oedipum infantem olim acceperat. Animi imbecillitatem Oedipi jam in eo nonnulli castigabant et perstringebant, quod illum famulum non statim (v. 118) arcessi jussit, ut de ea re cognosceret. [79]) Non viderunt autem ii, qui eam fictam incuriam vitio regi verterant, famulum illum nihil tum ad rem explicandam collaturum fuisse, praesertim si eadem repetivisset, quae antea erat confessus. Nunc quum novae res in lucem prolatae essent et indicia famuli mutari posse viderentur, illico eum Oedipus advocavit. Grandaevus ille homo quum intellexisset, Oedipum, quem jam pridem percussorem Laii fuisse sciebat, ejus esse filium, quem ipse conservavisset, tergiversando confessioni, quasi cruciatu expressae, moram quaerebat; sed quum nimis vehementer urgeretur et ambages exquirendo suspicionem fallendi devitare et subterfugere non posset, omnia, ut accidissent et se haberent, enucleatissime enarravit.

---

[79]) Bergenroth. p. 11. optime de ea re disseruit, ita ut ejus judicium in commentatione mea meum fecerim et adoptaverim.

Tum demum quum in luce et in oculis omnia posita essent, quae usque ad illud tempus occulta et recondita erant, Oedipus miseram diramque sortem suam conqueritur non multis sed iis gravissimis verbis et ultimum solis lucem valere jubet. (1110—1185.)

Perinde Chori carmen, quod antecedentia Oedipi verba insequitur, lamentatur fragilitatem et imbecillitatem rerum humanarum, gravissime tamen de misera Oedipi vita queritur, culpa regis attacta non ut eum accusaret, quod quidem vere humanum est et nobilis animi documentum, sed ut mentionem tantum ejus rei injiceret. (V. 1186—1222.) Nam quum magnae opes afflictae perierint, quis est qui in eo ipso tempore, quo malum obortum est et irrupit, noxae recordetur noxiumque reprehendat, castiget, ignominia notet? Duri hominis vel potius vix hominis esse videtur, ejusmodi naturam mores-que aperire. Unusquisque dolet casum fracti hominis ac, si meminerit vitiorum peccatorumque, quae tam tristem fortunae vicem pepererint, leniter ea ac placide perstringet. Non multo post quam chorus finem canendi fecit, servus ex aedibus egressus nuntiat fatalem Iocastes exitum et Oedipum ad maximam desperationem adductum se ipsum luminibus privasse. Atque mox ipse rex prodit, cujus caecitas horrore quidem complet et ad misericordiam chorum inducit, sed non deterret, quin dementia depravatum regem dicat et contendat, melius fuisse mori quam caecum degere vitam.[80] (V. 1223—1335.) Quum vero chorum

[80]) Wüllnerus, ibid. facete hunc locum illustrat. „Chorus igitur, inquit, non probat factum Oedipi. Recte ille quidem et vere. Nam mutilare sese quovis modo, vel maximis sceleribus perpetratis perturbati tantum animi et insani hominis esse videtur et cadit in maximam vituperationem. (O. C. 436. sqq.) Quin etiam, pergit, probari non potest, si quis, quum eum ante commissorum facinorum poeniteat, se ipsum cruciet; quum id plerumque ex superbia aut aliqua alia vitiosa animi affectione pro-

Oedipus edocuisset, bene factum esse, quod oculis se orbasset, et sorte sua descripta imprecationes in se evomuisset, (V. 1346 sqq., 1358 sqq. 1374 sqq. 1397.)[81]) Creon advenit et, ut decebat, magnanimus et immemor injuriae acceptae petenti Oedipo in omnibus rebus morem gerit, quas concedi jus et fas erat.[82])

Atque ita terminatur haec fabula, in qua poeta elaboravit, ut Oedipus voluntati deorum libenter morem gerens iisque reconciliatus, quum multa et atrocia mala perpessus ante commissorum criminum poenitentiam ageret, ea expiaret ac placaret; probaretque illud Solonis dictum, quod chorus in extrema fabula pronuntiavit: omnia humana caduca nec quemquam ante mortem beatum vocandum esse.[83]) Animadvertimus enim, ut vir, qui nunquam vere mala ac funesta, immo vero bona et salutaria civitati consilia daret, maximam partem vitae falsa opinione esset imbutus et deceptus, se ad deorum voluntatem vitam instituisse, quum teterrima crimina in se conciperet; atque inde colligimus recte, de his rebus nostra fabula quum edoceamur, hominem, qui non sit purus et integer, a culpa vacare ac perniciem sibi moliri non posse. Sed vidimus etiam, poetam a fati crudelis

---

ficiscatur etc. Denique concludit, quod ipsius verbis referri liceat: Selbstquälerei als solche ist Sünde. Quonam ea omnia spectant? pag. 9.

[81]) Quod Oedipus de se dixit: *νῦν γὰρ κακός τ᾽ ὢν κἀκ κακῶν εὑρίσκομαι* veritate caret et dictum est viri perturbatione incitati. Antigone ea refellit. Cf. Schneidewin Einltg. z. K. T. — Bergenroth p. 21.

[82]) O. R. 1436 sqq. O. C. 457 sqq. 766 sqq. Quum Oedipus a Creonte peteret, ut statim in exsilium mitteretur, hic respondit, se ei morem gesturum, si dii, quos iterum de ea re consuluisset, id fieri juberent. Deinde Creon petenti promittit, se funus mortuae Iocaste facturum et saluti filiarum consulturum. V. Schneidewin, p. 15.

[83]) O. R. 1528 sqq.

invidique cogitatione abhorruisse; atque ita se rem habere, quum, quidquid agebat Oedipus, ex suo ageret consilio neque ulla necessitate ad facinora sua impelleretur, id contra omnes fati patronos semper et usquequaque sum defensurus.

Non me praeterit quidem, quantam difficultatem habeant illud Oedipi cum Tiresia colloquium Tiresiaeque ipsius vaticinia,[84]) quibus mala omnia, quae paullo post in Oedipum irruperunt, accuratissime praedixerat Jam Bergenrothio[85]) maximae fuerunt offensioni, quocum ita tamen Sophoclem excusari velim, ut labe quidem et macula ista adspersam esse fabulam existimemus, sed maculam talem esse, qua non cogamur, ut opinionem nostram, quod ad fatum pertinet, et judicium de tragoedia ipsa mutemus. In tragoedia enim poena, qua afficitur Oedipus, non est major graviorque culpa, quam contraxerat;[86]) Sophoclea vero *σύστασις τῶν πραγμάτων* summa admiratione digna ac fabula ipsa, in qua prae-

---

[84]) Vide supra laud. 49. Bergenr. p. 21. Der Seher deutet nämlich ziemlich unverhohlen an, dass durch den Willen der Gottheit Alles an den Tag kommen werde, er sagt ganz genau alles Unheil, das den Oedipus bald wirklich trifft, selbst auch die Blindheit, voraus, und diese Prophezeiungen haben nicht den Charakter von blossen Ahnungen, sondern sie sollen wohl auf technischer Erforschung des Götterwillens oder des Schiksals beruhen.

[85]) Ibid. Dass Sophokles der so kunstvollen Entwickelung der Handlung diesen Fleck angeheftet hat, ist wohl ein Beweis, wie sehr auch dieses dramatische Genie auf der Hut sein musste, um seine Tragödien von der Ueberwucherung durch den das hellenische Volksleben und namentlich die Mythe beherrschenden Fatalismus rein zu erhalten. Keineswegs aber nöthigt dies nur beiher hängende Moment uns dazu, unser Urtheil zu ändern und zuzugeben, dass S. im K. O. mit Bewusstsein und Absicht das Drama auf die Schiksalsidee gestellt und das Fatum zur treibenden Feder seines Werkes gemacht hat.

[86]) Kock. I, p 33. Hagemann, p. 20. s. f.

cepta, quae de tragoedia tradidit Aristoteles, religiosissime sunt observata, omnibus numeris absoluta, quum et misericordiam et pavorem conditionem Oedipi miseramque sed meritam ejus sortem intuentibus moveat.[87])

[87]) Aristot. poet. 14. *δεῖ γὰρ καὶ ἄνευ τοῦ ὁρᾶν — ἅπερ ἂν πάθοι τις ἀκούων τὸν τοῦ Οἰδίποδος μῦθον.* Heinemann, p. 3. nisus hoc uno, quod Dicaearchus *ἐν ὑποθέσει* memoriae tradiderit, Sophoclem, quum fabulam hanc ageret, palmam non retulisse sed Philocli nescimus quam fabulam agenti datam esse, fere plurima in tragoedia vitiosa esse censuit multumque de gloria et ingenio poetae detrahere est conatus. — Quae singula redargui non opus esse censemus, ne in infinitum disputatio nostra procedat. Ad. Stahr, die Aristot. Poetik. p. 36. sqq.

Posnaniae, typis Guil. Deckeri & Societatis

VITA.

Natus sum Sigismundus Węclewski Interamnae (Międzyrzecz), oppido Magni Ducatus Posnaniensis, patre Sylvestre et matre Thecla e gente Zakęsciana, Calendis Majis anno hujus saeculi XXIV. Mense Martio a. MDCCCXLV Vratislaviam profectus per triennium continuum in illa alma litterarum sede Virorum Eruditissimorum, Haasii e grata memoria nunquam amovendi, Schneideri, Ambroschii, aliorum lectionibus interfui. Ratione studiorum reddita veniaque docendi impetrata Posnaniam repetii a. MDCCCXLVIII, ubi inde ab illo tempore praeceptoris ordinarii in gymnasio ad Sct. Mariam munere fungor. Liceat mihi hoc loco singulas disputationes et opuscula a me edita enumerare. 1) Lexicon latino-polonum. Posn. 1851. 2) De rebus Epidauriorum. Disp. i. i. sch. Posn. 1854. 3) Agamemnon, tragoed. Aeschyli in linguam polonic. translata. 4) Choephoris ex graeco translatis de studio, quod proximis IV. superioribus saeculis in Graecis Poloni consumpserint et de tragoediis e graeco in linguam polon. conversis brevissimam disputationem praemisi i. i. schol. Posnan. 1857. 5) Carmen sollemnia dedicationis novi Gymnasii Regii ad St. Mariam Posnaniensis celebrans. Posn. 1858. — 6) Babrii fabulae Aesop. in ling. pol. translatae cum praefat. de vita Babrii et de fabula graeca. Posn. 1861. Reliquae disputationes a me conscriptae collocatae sunt in libellis Varsaviae et Cracoviae in singulos menses annis 1859 et 1860 editis.

THESES.

1. Dissimulatio, Graecorum *εἰρωνεία,* duplex est, quippe quae interdum positionis, plerumque negationis vim habeat.
2. In Ovidii Metam. XV, 39. legendum est: O cui jus coeli bis sex fecere labores.
3. In Aeschyl. Agam. vv. 961—2. legendum est: *οἶκος δ'ἐπαρκεῖ τῶνδε· σὺν θεοῖς, ἄναξ· ἔχειν, πενέσθαί δ'οὐκ ἐπίσταται δόμος.*
4. Nulla re mentis acies magis exercetur et exacuitur quam vero philologiae studio.
5. Poloni propterea inde ab dimidio XVII^mo. saeculo litteris inferiores fuerunt quam vicinae gentes, quod studia antiquitatis amplecti negligebant.